

est in vapores aut materiam, ex qua erat composita; sicut columna nubis, quae israëlitas per desertum duxit, disparuit, postquam pervenerunt ad Iordanem, licet ad id usque tempus prodigiose fuerit conservata. Plura de stella magorum docte et erudite praeter alios disserunt *Calmetus* (1), *Cornelius a Lap.* (2), *Anton. Mayr* (3), *Suarez* (4), et *Salmeron* (5).

COROLLARIUM. Imperite prorsus quidam incredulus ad cl. *Bulletum* (*Réponses critiques*, tom. I, num. 43) dixit s. *Matthaeum* non sine ingenti absurdo potuisse asserere, quod stella magos Bethlehem duxerit; cum stellae ob enormem suam a nobis distantiam nec urbem, nec regionem ullam, multo minus aliquam domum designare possint. Nimirum ignoravit, aut se ignorare finxit incredulus ille, stellam illam non fuisse stellam fixam, sed dumtaxat meteorum in aëre infimo formatum.

176. ANTIL. X. *Solus Matthaeus* (6) narrat Christi fugam in Aegyptum: ex adverso *Lucas* (7) post adorationem pastorum ad praesepe Domini, et finitam purificationis Mariae historiam ait: ET UT PERFECERUNT OMNIA IN TEMPLO SECUNDUM LEGEM DOMINI, REVERSI SUNT IN GALILAEAM IN CIVITATEM SUAM NAZARETH. PUER AUTEM CRESCEBAT, ET CONFORTABATUR PLENIS SAPIENTIA, etc. *En contradictionem! Christus infans a Matthaeo in Aegyptum ducitur: a Luca constanter a tempore natalitatis suae in Iudaea perstitisse dicitur.*

(1) In dissertatione de Ss. tribus Magis, praefixa commentario in s. *Matthaeum*.

(2) Comment. in *Matth.* c. 2.

(3) In tractat. de primo et secundo adventu Christi, l. 2, c. 4.

(4) Loc. cit.

(5) Tom. 2, tract. 59.

(6) *Matth.* c. 2, v. 15-16.

Ita petulans et larvatus scribillator opusculi: *Les questions de Zapata*. Sed R. et dico: Apparens haec antilogia ab orthodoxis interpretibus iam pridem soluta est; quamvis varient in modo eam solvendi. Mihi praeplacet explicatio *Calmeti*, iuxta quem (8) fuit hic rerum gestarum ordo: Christus infans octo diebus post nativitatem suam, id est, prima ianuarii circumcisus est: b. Virgo vero, postquam Christum peperit, toto 40 dierum spatio Bethlehem substitit: legis enim praescripto (9) tempus hoc foeminis puerperis ad purificationem destinabatur. Ad finem horum dierum venerunt magi ab oriente, et divinum infantem adorabant. Succedente autem nocte ab angelo admoniti, ne ad *Herodem* regrederentur, per aliam viam ad propria remeant: b. Virgo vero expletis iam 40 illis a puerperio diebus, ascendit ad templum ad purificationem cum s. *Iosepho* et puero *Iesu*; dumque peracta purificatione in Nazareth reverterentur, ab angelo per quietem a s. *Iosepho* viso iussi sunt fugere in Aegyptum.

Neque huic explicationi nostrae obest, quod apud s. *Lucam* statim post purificationem referatur reditus sacrae familiae in Nazareth, et incrementum pueri *Iesu* in sapientia, etc. *Et ut perfecerunt omnia in templo, etc.* Nam iam alibi (10) observavimus, non singulos evangelistas singula Christi gesta referre, sed saepe ab uno facto transire ad aliud, non commemorato facto, aut

(7) *Luc.* c. 2, v. 59 et 40.

(8) Comment. in *Matth.* c. 2, v. 1 et 15. Item in dissertat. de adventu Magorum, prope finem. Item in *Harmonia 4 evangel.* posita ante commentarium in *Matth.*

(9) *Levit.* c. 12, v. 2, 5, 4.

(10) Vide supra n. 17 et 76.

factis intermediis. Hinc enim, ut *Salmeron* (1) ait, est familiaris mos s. Scripturae, ut quae non sunt simul continuata, quasi continuata essent, enarrantur. Quare sicut solemus dicere: mulier concepit et peperit, licet non nisi novem mensibus expletis pepererit: item sicut s. *Matth.*, enarrato ad finem capitis primi reditu Christi ex Aegypto in Nazareth, statim incipit caput tertium his verbis: *In diebus autem illis venit Ioannes Bapt. praedicans in deserto Iudaeae*; quamvis inter reditum Christi ex Aegypto, et praedicationem *Ioannis* viginti et amplius anni intercesserint: ita ex illis *Lucae* verbis: *Et ut perfecerunt omnia in templo... reversi sunt... in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat etc.*, neutiquam sequitur, quod inter purificationem, et reditum in Nazareth, non intercesserit fuga et commoratio in Aegypto. S. *Augustinus* (2) enim, *Iansenius Gaudavensis* (3), et *Franc. Lucas* censent, eos ex Ierusalem immediate fugisse in Aegyptum, indeque primum post statutum tempus re-
luces reversos fuisse in Nazareth, ut hic ait s. *Lucas*. Aut si cum *Cornelio a Lap.*, Comment. in *Luc.* 2, v. 40 et aliis mavis dicere, eos post purificationem immediate reversos esse in Nazareth, et inde primum fugisse in Aegyptum; non tamen sequitur, quod inter hunc reditum in Nazareth, et pueri *Iesu* incrementum in sapientia coram hominibus, etc. non intercesserit fuga in Aegyptum. Caeterum, etiamsi sacra familia ante fugam fortassis redierit in Nazareth ad faciendam de domo sua dispositionem, et

(1) Tom. 3, tract. 44.

(2) L. 3 de consensu evang. c. 5.

(3) Comment. in concord. evang. c. 10 ad finem.

(4) Sic cum *Euthymio*, *Tolete*, et aliis

paranda necessaria ad iter longum in Aegyptum, tamen tempus ad fugam abunde suppetebat, quia a die 2 februarii, qua facta est purificatio, usque ad pascha, quo factum dicitur infanticidium *Herodis* (4), intercedunt circiter duo menses.

177. ANTIL. XI IESUS (Ioann. 3, v. 22) BAPTIZABAT. Sed (Io. 4, v. 2) NON BAPTIZABAT, SED DISCIPULI EIUS. Numquid haec non est contradictio? *Dein ad quid tunc baptismus, cum ante mortem Christi nondum habuerit vim causandi gratiam ex meritis Christi Redemptoris?* R. Nulla hic est contradictio, nullum impossibile aut absurdum. Nam etiam Ioann. 3, v. 22 sensus est, quod Christus baptizavit, non tam per se, quam per suos apostolos, quorum tamen saltem aliquos ipse prius baptizabat. Teste enim *Euthymio* antiquorum patrum sententia est, b. Virginem et *Petrum* a Christo ipso fuisse baptizatos. Et *Evodius Petri* in cathedra Antiochena successor (5) asserit, Christum suis manibus baptizasse *Andream*, *Ioannem* et *Iacobum*, et ab his alios apostolos fuisse baptizatos. S. *Augustinus* quoque (6) docet; apostolos baptismo Christi fuisse baptizatos, antequam ipsi eodem baptismo alios baptizarent. Igitur *Iesus* baptizavit non per se, nisi per paucos, sed per discipulos suos; ferme sicut postea apostoli, quando gentibus praedicabant paucos baptizabant propriis manibus, ut indicat s. *Paulus* (7) dicens: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.*

Porro, licet Christus, quando apostolos baptizavit nondum fuerit mor-

censet *Cornelius a Lap.* comment. in *Luc.* c. 2, v. 40.

(5) Epist. quae inscribitur τὸ φῶς, id est, lumen.

(6) Epist. 108. (7) I. Cor. c. 1, v. 17.

tuus, certum tamen est, quod baptismus eo tempore collatus iam habuerit vim iustificandi: hanc enim trahebat a meritis Christi tum praesentibus, tum futuris; ac praesertim a morte Christi, quam Christus iam acceptaverat, seque in victimam futuram, pro salute hominum Deo patri iam saepe obtulerat. Quocirca sicut eucharistia ante mortem Christi instituta, sanctificavit apostolos, sic et baptismus. Ita diserte docent s. Augustinus (1), s. Thomas, s. Bonaventura, Caietanus, caeterique doctores, quos citat et sequitur Vasquez (2). Legi etiam hac de re merentur Cornelius a Lap. (3) et Calmet (4); ubi contrariam quorundam sententiam recensent et refutant.

178. ANTIL. XII. An non est contradictio, dum Christus (Matth. 5, v. 22) illum aeternae GEHENNAE IGNIS REUM declarat, qui proximum suum appellat FATUUM; cum tamen ipsemet (Matth. 23, v. 17) SCRIBAS ET PHARISAEOS appellet STULTOS ET CAECOS? ita anonymus ille scriptor in suo ms. ad dom. Christoph. de Zabuesnig dato, de quo supra (5) egimus. Sed R̄. Futilis prorsus et inepta est haec istius anonymi obiectio. Qualis enim haec est illatio! Ille qui ex inordinata ira irascitur non vitiiis, sed personae proximi sui, et ad eum ex gravi et deliberata ira vel odio dixerit *fatue*, reus erit gehennae ignis: ergo eundem reatum culpae et poenae etiam incurrit Deus-homo, sive Christus, qui non ex malo aut iniquo affectu animi, sed ex iustissimo zelo (6) seductores populi scribas et pharisaeos vocat stultos et caecos, ut eorum stultam doctrinam corrigat, et

(1) Tract. 15 in Ioan.

(2) 3. Part. q. 66, art. 5, disp. 140, c. 3 et 4.

(3) Comment. in Ioan. c. 5, v. 22.

vilem reddat; prout Cornelius a Lap., aliique interpretes in hunc locum passim observant et demonstrant. Nulla igitur hic est contradictio; quia in primo textu s. Matthaei sermo est de ira vel odio graviter inordinato et iniusto: in altero vero de sanctissimo et iustissimo Christi zelo adversus scribas et pharisaeos.

179. ANTIL. XIII. Christus (Matth. 11, v. 14) de Ioanne Baptista ait: IPSE EST ELIAS. E contrario Ioannes Baptista (Ioann. 1, 21) sacerdotibus et levitis eum interrogantibus: QUID ERGO? ELIAS ES TU? respondit ET DIXIT: NON SUM. Cui iam credendum? Christo an Ioanni? Porro, si Ioannes, qui filius Zachariae et Elisabeth erat, Elias fuit, sequitur, quod Elias bis natus sit. Potestne hoc sana ratio admittere? Ita denuo anonymus ille scriptor loc. cit. Sed R̄. Credendum est utriusque, id est, tam Christo asserenti, Ioannem esse Eliam, quam Ioanni id neganti, nec tamen ideo sequitur aliquid absurdum aut impossibile, vel Etiam bis esse natum. Nimirum Ioannes Baptista fuit Elias quoad spiritum et virtutem Eliae; id quod Christus cit. loc. indicare voluit: non autem fuit Elias quoad ipsam personam Eliae, quod solum negavit Ioannes Bapt. Porro, quod Christus verbis illis, ipse est Elias, tantum indicare voluerit, Ioannem Baptistam esse Eliam spiritu, virtute et zelo, non vero persona, patet non solum ex verbis angeli Gabrielis de Ioanne Baptista praedicentis patri eius Zachariae (7): Ipse praecedet ante illum (Christum) in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios etc., sed etiam ex

(4) Ibid.

(5) Num. 169.

(6) Vide supra num. 143 et 144.

(7) Luc. c. 1, v. 17.

verbis ipsius Christi alibi (1) dicentis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, et non cognoverunt eum... Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis. Eleganter quoque hanc in rem Hieronymus (2) ita scribit: « Ipse (Ioannes Baptista) est Elias... non quod eadem anima, ut haeretici suspicantur, et in Elia et in Ioanne fuerit, sed quod eandem habuerint s. Spiritus gratiam, zona cinctus ut Elias; vivens in eremo ut Elias; persecutionem passus ab Herodiade, ut ille sustinuit a Iezabel; ut quo modo Elias secundi adventus praecursor est, ita et Ioannes venturum in carne Dominum Salvatorem non solum in eremo, sed etiam in matris utero salutarit, et exultatione corporis nuntiavit.

180. ANTIL. XIV. Ioannes Bapt. optime scivit se esse praecursorem Domini, et Iesum esse verum Messiam. Quomodo ergo (Matth. 11, v. 2 et 3) potuit duos de discipulis suis, salva veracitate, mittere ad Christum, ut eum interrogent, num ipse sit Messias, an vero alius sit expectandus? ita idem anonymus scriptor loc. cit. Sed R̄. cum Hilario, Chrysostomo, Origene, Theophylacte, Muldonato, Grotio, aliisque plerisque tam antiquis, quam recentioribus interpretibus, ac dico s. Ioannem Bapt. tunc in carcere detentum, cum ex discipulis suis intellexisset, quanta in omnem illam regionem miraculorum Christi fama (3) percrebresceret, deprehendisse ex narrantium modo narrandi aliquam eorum invidiae speciem in Iesum: quasi huius gloria et celebritas obscuraret et imminueret nomen praecursoris sui, id est, Ioannis Baptistae, ideoque

(1) Matth. c. 17, v. 11, 12, et 13.

(2) Epist. 151 ad Algasiam, q. 1.

ut eorum animo mederetur, hos ad Christum ipsum misisse, ut propriis cernentes oculis eius facta, hunc vere Messiam esse intelligerent. Nulla igitur Ioanni oborta fuit de Iesu Christo, quem adeo aperte, solemniterque praenuntiaverat, dubitatio; sed tantum prudens illius charitas hanc ipsi viam aperuit, ut omnem discipulis suis errorem et ambigendi locum auferret. Igitur Ioannes Baptista misit discipulos suos ad Iesum, eumque rogavit, an ipse sit ille, qui venturus est, id est, an ipse sit Messias: non quod de eo dubitaret, sed quod incarceratus et morti vicinus, discipulos de eo dubitantes voluerit ab ipso Christo institui et convinci, sicque ad Christum traduci.

181. ANTIL. XV. Christus de extrema iudicii die, teste Marco evangelista (cap. 13, v. 32), ait: DE DIE AUTEM ILLO VEL HORA NEMO SCIT, NEQUE ANGELI IN COELO, NEQUE FILIUS, NISI PATER. At, quaeso, num Filio Dei naturali potuit aliqua esse occultum? Ita pariter quaerit iam saepius memoratus anonymus scriptor loc. cit. Sed R̄. et dico, hanc non esse novam objectionem, sed iam olim ab arianis contra catholicos acriter motam, inde inferre adnitentibus Christum non esse verum Deum, eo quod aliquid ignoraret. Verum hoc arianorum argumentum ss. patres et interpretes orthodoxi iam pridem confutarunt. Dicendum nimirum est, quod, quamvis Christus reipsa non ignoret diem extremi iudicii, tamen eum sibi cognitum esse, illaesa veritate negare potuit, quia eum non sciebat ea scientia, qua ut magister et doctor missus a Patre uti posset ac deberet. Nolebat quippe divinus Pater, ut Christus hac de re discipulos

(3) Vide Luc. c. 7, v. 18. Et Matth. c. 11, v. 2.

instrueret. Itaque Dominus eo loco locutus est restricte ad circumstantias, in quibus interrogabatur. Discipuli enim eum interrogabant tanquam magistrum et doctorem missum a Patre. At tanquam magister et doctor generis humani missus a Patre, non sciebat diem iudicii, videlicet *scientia communicabili*. Unde sicut legatus, si rogetur de secretis regis sui, quae ab eo taceri rex vult, vere respondet, se ea nescire, quia illa nescit ut legatus; ut legatus enim tantum refert illa, quae illi a rege dicenda commissa sunt; sic Christus recte negavit, se scire diem iudicii, nimirum ut Dei legatus erat ad nos, sive scientia communicabili, quia illud revelare hominibus non habebat in mandatis a Patre. Ita communiter respondent *Cornelius a Lap.* (1), aliique interpretes.

182. ANTILOGIA XVI. *S. Matthaeus* (cap. 10, v. 10) ait, *Christum prohibuisse discipulis CALCEAMENTA gestare: s. Marcus vero* (cap. 6, v. 9) *inquit, Christum voluisse eos esse CALCEATOS SANDALIIS. Porro s. Matthaeus* (loc. cit.) *ait, Christum prohibuisse ne possiderent VIRGAM: s. Marcus vero* (cap. 6, v. 8) *contrarium testatur his verbis: PRAECEPTUM EIS, NE QUID TOLLERENT IN VIA, NISI VIRGAM TANTUM. En evangelistas aperte sibi contradicentes! Ita Horus in detestando suo opere pag. 435 et 436. Verum R. Sunt hae quidem antilogiae seu contradictiones, sed dumtaxat apparenter tales. Nam AD PRIMUM respondet s. Augustinus* (2), *ea tantum calceamenta discipulis fuisse prohibita, quae totum pedem tegerent: sandalia vero concessa, quae plantam quidem pedis defenderent ab occurrentibus*

(1) Comment. in Matth. c. 24, v. 36.

(2) L. 2 de consensu evang. c. 30.

(3) In hunc locum.

vitae incommodis; at superiorem pedis partem sinerent nudam. Haec quippe vocantur *sandalia*, iisque Dominus et apostoli, ut pauperes illius regionis, utebantur. Vel cum *s. Thoma, Caietano* et aliis dici potest, apud *Matthaeum* prohiberi duplicata seu duo paria calceamentorum pro more illius regionis, aequae ac tunicarum. Mos enim secum mutatoria deferendi calceamenta ex omni antiquitate probatur, teste *Calmeto*.

AD SECUNDUM similiter respondetur, tantum prohiberi, ne discipuli plures habeant virgas seu scipiones; non autem ne baculo utantur, quo iter agentes suos gressus firment. Hinc apud *Marcum* Christus dicitur praecepisse ne quid assumerent in via, *nisi virgam tantum*, nempe unicum. Tunc enim, ut *Grotius* (3) cum aliis observat, moris erat in itinere plures baculos gestari, vel ut illis inniterentur, vel sarcinulas suas ferrent, ubi qui primum assumptus fuerat vel fractus esset vel attritus. Huic responsioni favet, quod apud *s. Matthaeum* loc. cit. haec tria coniungantur: *nolite possidere... neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*. Unde sicut tantum duae (non autem unica tunica) prohibentur, ita etiam tantum velantur duo paria calceamentorum, et duo vel plures virgae. Accedit, quod in plurimis graecis veteribus msc. legatur *πάβδους* virgas numero plurali (4).

Alii respondent, *Matthaeum* de alia virga loqui, quam *Marcum*. Est enim quaedam virga, quam sustentandi lassi corporis causa assumimus, seu virga viatoria, quae hebraeis dicitur *מישׁאן* *mish'an* a verbo *שאן* *sha'an*, quod est *inniti*. Et alia

(4) Vide *Calm.* comment. in Matth. c. 10, v. 40.

est virga, quam vindicandi aut defendendi gratia, armorum loco gerimus, quali iudices ad designandam potestatem iudicalem utuntur, quae dicitur hebraeis *שבת* *shebeth*. Hanc ergo posteriorem apostolis apud *Matthaeum* interdictam fuisse, modo dicti censent auctores (1); illam vero priorem iis permissam. Non enim Christus voluit protectionem discipulis suis reddere onerosiorem, sed expeditiorem, et dumtaxat prohibuit, ne gladiis aliove armorum genere muniantur, omnem confidentiam in Domino collocantes.

COROLLARIUM. Quaecumque ex altis responsionibus eligatur, patet, *Matthaeum Marco* non contradicere, sed antilogiam hic obiectam esse praecise apparenter talem.

183. ANTILOGIA XVII. *Matthaeus* (c. 10, v. 9). *Marcus* (c. 6, v. 8), *Lucas* (c. 9, v. 3) *testantur, quod Christus mittens binos et binos apostolos ad praedicandum, eis praeceperit non deferre marsupium nec pecunias. Ioannes vero* (cap. 12, v. 6) *ait, IUDAM ISCARIOTEM... HABUISSE LOCULOS, et quidem, ut interpretes hunc locum exponunt, volente Christo. An haec non est contradictio? R. Non est. Nam alia est ratio alicuius collegii vel multitudinis, quale fuit collegium apostolicum, et alia est ratio duorum. Quoniam enim facile fuit duobus invenire hospitem, qui asymbolos exciperet cum mitteret Dominus apostolos binos ad praedicandum, vetuit eos secum deferre pecuniam, quod tamen praeceptum non voluit illis esse perpetuum, sed temporale, ut mox dicam. At totam discipulorum multitudinem simul cum Iesu circumeuntium recta ratio non sinebat carere marsupio, ne usquam gravaret hospitem: item ut Dominus haberet unde cum suis su-*

stentaretur, quando latitandum, vel secedendum erat. Praeterea, sicut mittens discipulos sine marsupio declarare voluit nihil unquam defuturum his, qui simplici fiducia ab ipso pendentes, totos sese praedicationi et aliorum aedificationi impenderent; ita cum suis circumferendo loculos ostendit, ecclesiam licite habituram loculos, nec derogari perfectioni vitae, habere commune marsupium pro sumptu opportuno.

Unde praeceptum illud non deferendi secum pecunias primitus datum apostolis fuit. solum temporale, quod etiam ex eo colligitur, quia Christus ipse, postquam (2) ad apostolos ait: *Quando misi vos sine sacco et pera, numquid aliquid defuit vobis?* immediate v. 36 subiungit: *sed nunc qui habet sacculum tollat similiter et peram; et qui non habet vendat tunicam suam et emat gladium, quibus verbis sat clare indicatur, praeceptum illud dumtaxat fuisse temporale. Hinc apostoli in prima illa protectione omnia, ut iussi erant, praestiterunt: postea autem, cessante Domini iussione, relictis suae libertati sat habuerunt, praecipuum Domini illo praecepto intentum scopum spectare, nimirum ut omnem sollicitudinem mundanam seponerent, et sobrietatis ac paupertatis exempla praebentes, semper a divina providentia in omnibus se pendere declararent, licet caeteroquin peculium aliquod in praedicatione apud gentes secum deferrent.*

184. ANTILOGIA XVIII. *Matthaeus* (c. 27, v. 44) *blasphemias in Christum crucifixum congestas tribuit utrique latroni dicens: IPIPSEM AUTEM ET LATRONES, QUI CRUCIFIXI ERANT CUM EO, IMPROPERABANT EI. Sic etiam Marcus* (cap. 15, v. 32) *ait: ET QUI CUM EO*

(1) *Brugensis, Piscator, Hammond.*

(2) *Luc. c. 22, v. 55.*

CRUCIFIXI ERANT, CONVITIABANTUR EI. *E contrario Lucas* (cap. 23, v. 39) *tantum de uno latrone hoc affirmat his verbis: UNUS AUTEM DE HIS, QUI PENDEBANT, LATRONIBUS BLASPHEMABAT EUM DICENS: SI TU ES CHRISTUS, etc. Quomodo ista concordant?* Ita quaerit anonymus ille scriptor in suo msc. ad dom. *Christoph. de Zabuesnig* dato, de quo iam supra (1) saepius mentionem fecimus. Item auctor libri *l'Histoire critique de Jésus-Christ*, pag. 225. Sed duplex est via, seu modus, apparentem hanc antilogiam diluendi. Nam graeci, *Origenes, s. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius*, ac ex latinis *s. Hilarius* existimant, utrumque latronem initio Christum blasphemasse; sed alterum, visa Christi patientia notaque eius innocentia, item visis tenebris aliisque signis, brevi respuisse, ac poenitentia ductum in Christum credidisse.

Verum melius respondent *s. Augustinus* (2) caeterique latini plerique, communiter docentes, unum tantum ex latronibus blasphemasse; *Matthaeum* vero et *Marcum*, more hebraeis usitato, seu per figuram synecdoches in *s. Scriptura* frequentem, posuisse numerum pluralem pro singulari: *latrones* pro *latro*; sicut in epistola ad hebraeos (3) de prophetis legimus pluraliter dictum: *secti sunt*; cum id de solo *Isaia* tradatur. Voluere nimirum *Matthaeus* et *Marcus* loc. cit. per pluralem numerum *latrones*, vel *qui cum eo crucifixi erant*, non singulis horum personis, sed certo statui hominum, nempe latronum crimen blasphemiae in Christum tribuere, ut ostenderent, Christum in cruce ab omni hominum genere et conditione, etiam latronum convicia atrociter pertulisse, quasi dicerent adeo saepe

(1) Num. 175, 174, 181-185.

(2) L. 5 de consensu evang. c. 16.

et insolenter certatim omnes Christo conviciati sunt, ut etiam ex latronibus unus, qui cum eo crucifixi erant, iamiam animam agens, impudenter in illum probra coniecerit.

SCHOLION. *S. Hieronymus* utramque responsionem hic allatam recenset, magis tamen in primam inclinatur, dum comment. in *Matth. c. 27, v. 44* ita ait: IDIPSUM AUTEM ET LATRONES, QUI CRUCIFIXI ERANT CUM EO, IMPROPERABANT EI. *Hic per tropum, qui appellatur συλλογισμός* (id est, coniunctio), *pro uno latrone uterque inducitur blasphemasse. Lucas vero asserit, quod altero blasphemante, alter confessus sit, et e contrario increpaverit blasphemantem. Non quod discrepent evangelia, sed quod primum* (id est, ab initio) *uterque blasphemaverit: dehinc, sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unus crediderit in Iesum, et priorem negationem sequenti confessione emendaverit.*

185. ANTILOGIA XIX. *Evangelistae valde discordant, dum de potu, qui Christo in monte Calvariae oblatus est, loquuntur. Matthaeus* (cap. 27, v. 34) *ait, fuisse VINUM, vel, ut graeci codices habent, ACETUM CUM FELLE MIXTUM, additque, ET CUM GUSTASSET NOLUIT BIBERE: Marcus vero* (cap. 15, v. 23) *id vocat VINUM MYRRHATUM, testaturque, ET NON ACCEPIT. Lucas* (cap. 23, v. 36) *id appellat ACETUM, sed nihil dicit utrum Christus illud acceperit, nec ne. Ioannes denique* (cap. 19, v. 29 et 30) *narrat, SPONGIAM PLENAM ACETO, HYSSOPO CIRCUMPOSITAM, OBLATAM fuisse ORI EIUS, et ACCEPISSE IESUM hoc ACETUM. Has* (inquit idem anonymus scriptor praeced. num. 184 citatus) *germani appellant contradictiones. Verum nullam in his con-*

(3) Cap. 11, v. 37.

tradictionem agnovere *s. Augustinus*, caeterique orthodoxi interpretes, qui ex instituto commentaria in IV evangel. scripsere. Et profecto apprensus antilogia sive contradictio evanescit, si cum *s. Augustino, Cornelio a Lap.*, aliisque dicatur, vinum Christo oblatum fuisse simul felle et myrrha mixtum, quo esset amarius, aut *s. Matthaeum* fel posuisse pro amaritudine, ut myrrha ipsa fel dicatur ob amaritudinem.

Praeterea notandum, hanc Christi potationem a *Matthaeo* et *Marco* loc. cit. recensitam aliam et diversam esse ab illa de qua *Matthaeus* alibi (nempe cap. 27, v. 48) et *Lucas* ac *Ioannes* loc. cit. agunt. Prior enim ante crucifixionem oblata est Christo, et erat potatio vini; altera vero data est Christo iam crucifixo clamanti, *sitio*, et fuit aceti; quamvis graeci codices etiam illum potum, qui Christo ante crucifixionem oblatus est, appellant *acetum*, quia pro οἶνον, id est, vinum corrupte (ut videtur) legunt ζεός, id est, acetum; nisi dicas, vinum hoc vocari ζεός, id est, acetum, quia erat acerbum et acetosum. Porro utramque hanc potationem Christo oblatam distincte praedixit psalmista (1) in persona Christi dicens: *Et dederunt in escam meam fel: et siti mea potaverunt me aceto.* Ubi de prima potatione ante crucifixionem ait: *dederunt in escam meam fel*; de posteriore vero in cruce: *et in siti mea potaverunt me aceto.*

Neque contradictio est in eo, quod *Matthaeus* dicat, Christum, cum gustasset noluisse bibere, adeoque potum primo accepisse; *Marcus* vero, et non accepit. Nam *Marcus*, dum ait, et non accepit, nihil aliud voluit dicere, quam quod *Matthaeus* dixit, cum gustasset, noluit bibere. Gusta-

(1) Psal. 68, v. 22.

(2) Marc. c. 14, v. 25.

vit enim, sed non bibit, nec accipit sic, ut intra se hunc potum in copia transmitteret, ut *Tirinus* ait. Noluit autem bibere, sive quod aversaretur malitiam iudaeorum, qui vinum felle corruperant, sive ex alia ratione, vel quod volebat nobis indicare aliquod mysterium. Significatum est enim secundum *Hieronymum*, quod gustaverit quidem pro nobis mortis amaritudinem sibi a iudaeis propinatam, sed quod ab ea non fuerit detentus, resurgens tertia die. Significatum item, quod deinceps aversaturus esset vinum iudaicum, quod productura esset synagogae vitis, a qua cum expectaret dulces uvas, fecit labruscas, ut legitur *Isa. cap. 5, v. 4.* Jam enim cum discipulis biberat de dulci calice novi Testamenti, seque non bibiturum de fructu vitis asseruit, donec illud biberet novum in regno Dei (2). Merito igitur amarum iudaeorum recusavit vinum. Caeterum, si increduli eiusmodi spirituales ac mysticos sensus non intelligant, aut irrideant, id inde est, quia animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei (3): Et sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt cogitationes Dei a cogitationibus hominum (4).

186. ANTILOGIA XX. *Spiritus s., qui evangelistam Marcum dirigebat, Iesum* (Marc. cap. 15, v. 25) *HORA TERTIA, id est, iuxta nostrum computum hora nona matulina mortuum esse testatur: e contrario Spiritus s., qui Ioannem evangelistam inspirabat, huic dictavit* (Ioan. cap. 19, v. 14) *Iesum circa HORAM QUASI SEXTAM, id est, circa meridiem expirasse.* Ita blasphemae iocatur auctor libri: *l'Histoire critique de Jésus-Christ*, pag. 225 volens ostendere contradictionem evangelistarum. Sed in-

(5) I. Cor. c. 2, v. 14.

(4) Isai. c. 55, v. 9.

primis turpiter errat iste incredulus in eo, quod dicat, memoratos evangelistas loc. cit. loqui de hora mortis Christi, quod falsum est; non enim de hora mortis, sed crucifixionis loquuntur (1) pependit autem in cruce adhuc vivens per tres horas; ut Suarez loco mox citando ostendit, et etiam ex communi sensu et traditione ecclesiae probat. Dein duae praecipuae sunt explanationes, quibus obiecta hic apparentes antilogia solvitur. Prima et communior est sententia Suarez (2), Antonii Mayr (3), Menochii (4) et aliorum dicentium ab hebraeis diem tam in hyeme quam in aestate, aliisque anni temporibus fuisse a solis ortu usque ad huius occasum divisam in duodecim partes aequales sive horas, et similiter noctem in duodecim partes aequales sive horas, incipiendo ab occasu solis usque ad eius reditum seu ortum, ita ut dies in aestate, quantumcumque longus, non habuerit plures quam duodecim, sed longiores, vicissim in hyeme non pauciores quam duodecim, sed breviores horas. Cum autem Christus crucifixus sit circa aequinoctium vernalis, quo dies et noctes sunt aequales, tunc horae diei etiam iuxta iudeos erant aequae longae ac horae noctis. Horae sic divisae et computatae vocantur *horae iudaicae*. Porro praedictas duodecim horas diei dividebant iudei in quatuor partes, quae vocabantur *Prima, Tertia, Sexta et Nona*, ita ut quaelibet ex his partibus complexa fuerit 3 horas; nimirum *Prima* durabat per tres primas horas diei, ab ortu

(1) Nam s. Marcus loc. cit. ait: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum. S. Ioannes vero cap. 19, v. 14-17, inquit: Erat autem... hora quasi sexta, et dicit iudeis: Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum... Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.*

solis numerando usque ad initium *Tertiae*, haec per alias tres horas subsequentes usque ad initium *Sextae*, et denique ista pariter per alias tres horas sequentes usque ad occasum solis. Ratio autem sic dividendi 12 horas *communes* in 4 praedictas partes maiores erat, quia sacerdotes iudaici quatuor illis diei temporibus (nempe circa *Primam, Tertiam, Sextam et Nonam*) solebant suas preces et sacrificia, aliaque ad iudaicam religionem pertinentia peragere: unde hae quatuor appellantur *horae sacrae*. Cum igitur quaelibet ex his quatuor partibus diei tres horas *communes* contineat, recte adscribitur ex. gr. *Tertiae*, quidquid ad huius initium, medium, aut finem gestum est, hoc est, quidquid iuxta germanici horologii computandi modum ab hora nona matutina usque ad duodecimam sive usque ad meridiem accidit, saltem tempore aequinoctii vernalis, quo etiam iuxta hebraeos (ut dixi) horae diei et noctis erant aequales, sive aequae longae. Itaque dum s. Marcus ait, Christum crucifixum esse *hora tertia*, non dicit falsum, etiamsi crucifixio facta sit circa sextam, id est, iuxta nostrum computandi horas modum, circa duodecimam, sive meridiem; quia hora tertia iudeorum se extendebat usque ad initium horae sextae, id est, iuxta nostrum computandi modum, duodecimae; praesertim quia s. Ioannes non absolute dicit Christum hora sexta crucifixum esse, sed (5) inquit: *Erat autem... hora quasi sexta*. Hinc Menochius (6) ait:

(2) Tom. 2 in 3 part. disput. 40, sect. 6.

(3) De primo et secundo Christi adventu l. 4, c. 14, et cap. 15, n. 654.

(4) Centur. 6, q. 87. Item in suo comment. in Matth. c. 27, v. 45.

(5) Cap. 19, v. 14.

(6) Comment. in Matth. c. 27, v. 45.

« Communis responsio est (Christum) crucifixum fuisse inter tertiam et sextam. Cum vero medium a quolibet extremo nomen sumere possit, hinc factum, ut alius ex evangelistis tertiam, alius sextam dixerit. »

187. Altera sententia, quam cl. Weitenauer (1) optimam censet, et quae etiam auctoritate s. Clementis, s. Ignatii M. et Telesphori papae confirmatur (2), est explicatio *Riberae* (3) et *Bulleli* (4), seu illorum, qui dicunt recte asseri a s. Marco Christum *hora tertia* fuisse crucifixum; quia tunc *Pilatus* ob clamores iudeorum, *crucifige, crucifige*, Christum ad mortem crucis iam destinavit; et pariter recte dici a s. Ioanne eum crucifixum esse circa *horam sextam*, quia tunc crucifixio reapse peracta est. *Marcus* ergo originem et initium crucifixionis per *horam tertiam* indicavit; *Ioannes* vero eius executionem et complementum per *horam sextam* assignavit. Ceterum aliunde constat, quod verbum activum iuxta hebraeos non tantum ipsam actionem, sed etiam praeparationem vel dispositionem ad actionem significet. Sic Deut. 16, v. 6, hebraei dicuntur *vespere ad solis occasum egressi de Aegypto*; quia nimirum vespere manducabant agnum paschalem et convasabant: sed Exod. 12, v. 42, dicuntur *nocte* educti de Aegypto; quia scilicet illa nocte percussis a Domino aegyptiorum primogenitis, Pharaon iussit, ut israelitae surgerent et ex Aegypto egredierentur: hi vero ad iter se proxime accinxere. Denique num. 33, v. 3, reipsa *profecti sunt altera die Phase... videntibus cunctis aegyptiis*. Ex quo exemplo patet,

(1) In nota ad Marc. c. 15, v. 25, adiecta.

(2) Vide *Cornelium a Lapide* comment. in Ioan. c. 19, v. 14.

(3) Comment. in Ioan. c. 19, v. 14.

quod praeparatio et proxima dispositio ad exitum ex Aegypto, in primo et secundo citato loco dicatur egressus sive exitus ex Aegypto. Similiter igitur Marc. 15, v. 25, dicitur, quod iudei *hora tertia* Christum *crucifixerint*; quia tunc per suum clamorem et tumultum a *Pilato* destinationem Christi ad mortem crucis, quae erat proxima dispositio ad crucifixionem extorsere. Plura hanc in rem asserunt *Ribera*, et *Bulleli* (5).

188. ANTIL. XXI. S. Lucas (cap. ultim. v. 50, et 51) ait, *Christum in Iudaea prope BETHANIAM, quae vicus erat ad radices montis olivarum, ascendisse in coelum coram discipulis: s. Matthaeus vero* (cap. ultim. v. 16), *narrat, discipulos Christum ultimo vidisse in monte GALILAEAE. Nam ibi ait: UNDECIM AUTEM DISCIPULI ABIERUNT IN GALILAEAM, UBI CONSTITUERAT ILLIS IESUS. Nonne haec est aperta contradictio? Ita incredulus ille Zapata, contra quem iam supra (6) egimus. R. Apparens haec contradictio facile solvitur, si ad sequentia attendatur: s. Matthaeus loc. cit. non ait, Christum in monte illo in Galilaea sito ascendisse in coelum, aut apparitionem illam in Galilaea fuisse apparitionem ultimam. Erat enim illa ordine octava, postquam adhuc alia, nempe nona et ultima (de qua s. Lucas loc. cit. loquitur) facta est Hierosolymis, ubi Christus iterum cum discipulis amice egit et conversatus est (7). Porro s. Lucas haud dubie legerat evangelium s. Matthaei, qui omnium evangelistarum primus evangelium suum scripsit. Quis igitur prudens suspicetur aut*

(4) Réponses critiques, tom. 2, n. 54.

(5) Loc. cit. (6) Num. 179 Antil. IX.

(7) Vide *Calmeti* Harmoniam evangel. ante commentarium in 4 evangelia positam.

credat, s. *Lucam*, dum ascensionem Christi in *Judaea* contigisse narrat, loqui de illa ipsa apparitione, quam s. *Matthaeus* cap. ultim. v. 16, in *Galilaea* factam fuisse asserit, sicque huic evangelistae voluisse manifeste contradicere? Non igitur s. *Matthaeus* loc. cit. de illa apparitione, de qua s. *Lucas* loquitur, agit, quod etiam ex eo confirmatur, quia s. *Matthaeus* loc. cit. de ascensione Christi nec verbulo mentionem facit; cum tamen s. *Lucas* in textu obiecto hanc distincte narret.

Si autem quaeras: cur s. *Matthaeus* non (sicut s. *Lucas*) ultimam Christi apparitionem in monte *Olivet* recensuerit, sed penultimam in monte *Galilaeae*, quem fuisse montem *Thabor* s. *Bonaventura*, et alii censent? R. Ratio est, quia Spiritus s. ad hanc ed non ad illam apparitionem scribendam s. *Matthaeum* incitavit. Aliunde enim constat (1), quod non singuli evangelistae omnia Christi gesta, quae ab aliis evangelistis narrata sunt, recenseant.

SCHOLION. Sunt quidem insuper aliae apparentes antilogiae in evangelio, sed contenti sumus, eas, quas modo attulimus, dissolvissse; praesertim quia easdem increduli nostrorum maxime temporum contra religionem christianam proferre solent, et quia non paucas alias eiusmodi apparentes antilogias iam alibi (2) solvimus, vel mox in sequenti 2 capite dissolvemus, aut denique quia eae apud scripturistas (3) dissolutae passim legi possunt. Caeterum id praeterea benevolam lectorem monitum velim, quod

(1) Vide supra n. 17-76.

(2) Vide supra num. 115-127.

(3) Tales sunt s. *Augustinus* lib. de consensu evangelistarum, *Iansenius Gandavensis* episcopus de concordia evang. *Tirinus* in indice quarto ad finem sui commentarii in s. Scripturam posito, ubi catalogum antilogiarum seu apparentium con-

praesente capite I. per *Antilogias apparentes* non eas solum intellexerim, quibus textus s. Scripturae textui opponi, sed illas quoque, ubi textus cum historia profana, aut naturalis philosophiae placitis convenire haud videtur.

CAPUT II.

De aliis adhuc difficultatibus, quas increduli contra historiam, aut doctrinam evangelicam obiciunt.

189. QUERES I. An evangelistae vera loquantur, dum ex veteri testamento citant prophetias, quae vel non sunt ad rem; sicut dum *Matthaeus* (cap. 2, v. 15), reditum Christi ex fuga in Aegyptum ait, praenuntiatum esse ab *Osea* (cap. 11, v. 1), his verbis: EX AEGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM, ubi tamen sermo est de exitu *Israël* ex Aegypto? II. Vel, dum idem evangelista (loc. cit. v. 23), inquit, Iesum habitasse in *Nazareth*, UT ADIMPLERETUR propheta: NAZARAEUS VOCABITUR; cum tamen haec propheta nullibi in veteri testamento reperitur? III. Vel, dum idem ipse (cap. 27, v. 9), pro *ZACHARIA* propheta citat *Ieremiam*? IV. Vel, denique, dum *Marcus* (cap. 1, v. 1, 2, et 3), pro *MALACHIA* citat *ISAIAM*? R. In his omnibus evangelistae nullius falsitatis argui possunt. Nam AD PRIMUM dico, citatam *Oseae* prophetiam esse maxime ad rem. Nam quis vel mediocriter versatus in s. Scriptura debet scire, in prophetiis et aliis sacrarum literarum locis saepe, praeter sensum *literalem*, simul dari alium sensum *mysticum*,

traditionum in utroque testamento concurrentium recenset. Item *Bresiarium Scripturisticum* in dominicalia totius anni evangelia, tomuli tres edit. Augustan. ann. 1772. Taceo alios commentatores et interpretes s. Scripturae, qui passim antilogias apparentes s. Scripturae solvunt et dilucidant.

hoc est, saepe verba s. Scripturae immediate quidem significare aliquam rem, quae tamen sit typus et figura alterius rei vel mysterii, iuxta illud s. *Pauli* effatum (1): Haec omnia in figura contingebant illis. Sic igitur, dum Dominus per prophetam *Oseam* loc. cit. ait: Ex Aegypto vocavi filium meum, in sensu quidem *literali* et immediate significatur *populus israeliticus* exiens ex Aegypto, qui erat figura Christi ex Aegypto reducis: in sensu autem *mystico* et *mediate* indicatur *puer Iesus* ex Aegypto redux, qui est figuratum. Et sane apta est proportio et similitudo inter illam figuram, et hoc figuratum. *Israël* enim profectus est in Aegyptum famem evitaturus; et *Iesus* eo perrexit, saevitiae *Herodis* se subducturus: *Israëlis* *populus* suo tempore iterum exiit ex Aegypto; et *Iesus* defuncto *Herode* reversus est in terram *Israël*.

AD 2. R. et imprimis observo, vocem *Nazaraeus* in hebraica lingua posse duplici modo legi et scribi, nimirum vel cum litera \aleph *tsade* seu *ts*, vel cum litera \aleph *zain* seu *z*. Si primo modo scribitur, significat *germen* seu *florentem surculum*: si autem altero modo scribitur, idem est ac *segregatus*, seu a communi hominum grege *separatus*, hoc est, *Deo consecratus, sanctus, sanctificatus*. Iam vero utraque haec expositio in prophetis de Messia seu Christo scripta invenitur. Nam *Messias* ut *sanctus* a prophetis passim celebratur: *Isaias* (2) vero eum appellat *florem*, seu *germen*: Et egredietur virga de radice *Iesse*, et flos de

radice eius ascendet. Sic etiam *Zacharias* (3) Christum vocat orientem surculum: Ecce vir oriens nomen eius, quia nimirum ex emortua fere patriarcharum radice, tanquam novus surculus prodiit, et in magnam arborem crevit; ut exponunt interpretes, *Menochius* (4), *Cornelius a Lap.* (5) etc. Atque haec nostra responsio, et vocis *Nazaraeus* in prophetis fundatae expositio conformis est s. *Hieronymo* (6) dicenti: « *Nazaraeus* sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum omnium Scriptura commemorat. Possumus et aliter dicere, quod etiam eisdem verbis iuxta hebraicam veritatem in *Isaia* scriptum sit: Exiet virga de radice *Iesse*, et *Nazaraeus* (id est, flos) de radice eius ascendet. »

Caeterum *Tirinus* (7) cum *Maldonato* et aliis contendit et probat, *Matth. 2, v. 23*, Christum *Nazaraeum* dictum esse a *flore* seu *germine*, ac expresse ait: Errant igitur, qui nomen Christi NAZARENI a NAZIR, id est, SEPARATUM seu SANCTUM deductum putant.

AD 3. R. et dico, varios esse modos seu sententias, quibus s. *Matthaeus* ab errore vindicari potest, et quas *Calmetus* (8) fuse recenset. Ego duas solum, quae obiectam hic difficultatem satis diluunt, in medium profero. PRIMA igitur est eorum, qui cum *Origene*, *Tertulliano*, *Eusebio*, *Serario* (9) etc. dicunt, illam prophetiam *Ieremiae* praedictis: Et acceperunt triginta argenteos pretium appetiati etc. (quae propheta, quamquam mutatis verbis, reperitur *Zachar. 11, v. 12*), in *Ieremia* olim extitisse, sed inter-

(1) 1. Cor. c. 10, v. 11.

(2) Cap. 11, v. 4.

(3) Cap. 6, v. 12.

(4) Comment. in *Zachar. c. 5, v. 8*, et c. 6, v. 12.

(5) Comment. in *Isai. c. 11, v. 4*. Et *Zachar. c. 5, v. 8*.

(6) Comment. in *Matth. c. 2, v. 25*.

(7) Ibidem.

(8) Comment. in *Matth. c. 27, v. 9*.

(9) Comment. in *II. Machab. c. 2, v. 1*, Quaestiuncula 20.